

Petrus de Vinea

*Ep. II 48 (Vt uictoriosi
exercitus nostri processus...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

Petrus de Vinea

*Ep. II 48 (Vt uictoriosi
exercitus nostri processus...)*

giugno 1248

Fidelibus suis, de bello habito inter ipsum et Mediolanenses.

1. Vt uictoriosi exercitus nostri processus fidelitatem tuam non lateat, ueritas, quae frequenter, ut assolet, loquacitate referentium uariatur, presens te ueridica pagina doceat, quod dum in castris ante..., ad depopulationem nostrorum rebellium tam potenter quam feliciter moraremur, de ipsius loci celeri occupatione securi marchionis Pelaucini fidelis nostri, qui conscientiam nostram aliquo modo non falleret, accepimus litteras continentes, quod Mediolanenses rebelles nostri cum Placentinis eorum sequacibus pro succursu Parmensium proditorum nostrorum, quorum desiderabilia noster uastabat ignis et gladius, potenter uenerant Floremsolam, inani se uoce iactantes, quod nobiscum ad congressum uenire uolebant, gladiatorum nostrorum potentiam, quam in necem eorum sepius experti fuerant, per fastuosam quamdam superbiam prorsus oblit; cumque assistentibus nobis Imperii uiribus et Cesareis animis, quod predicti rebelles nos presumerent aggredi, serenitas nostra duceret indecorum, ut, etiam si belli casus inciderit, per eorundem ingressum attingeremus uiriliter uotum nostrum. 2. De quo, actore Domino, qui nostrum tuetur Imperium, infallibiliter sperabamus et altiori ducti consilio, defixis castris nostris, feliciter uictoria signa nostra direximus contra ipsos die lunae quinto decimo presentis mensis Iunii ante Floremsolam, ubi ad perniciem ipsorum eos conuenisse didicimus, figentes felicia castra nostra; cominus eius districtum ignis noster et gladius Imperii more consumit, quod cum ipsis innotuit, signa nostra respicere non audentes, locum ipsum de nocte non sine

timore maximo dimiserunt, et sic sunt in fugam conuersi, quod euanescere potius quam fugere uiderentur. 3. Haec interim ad gaudium tibi significare curauimus, tu uero illud uniuersis fidelibus ipsarum partium studeas publicare.